

ἐν παιδείᾳ καὶ ὑγιεινῇ ἀγωγῇ diligenter educarunt, optimoq;
exemplo ad honestissimam vitæ sanctè pièque degendæ
rationem, ad victum cultumque corporis sobrium, ad
morum gravitatem cum humanitate temperatam, incita-
runt: cuius etiam primæ educationis vestigia deinceps
per omnem ejus vitam, splendidissimè in eo eluxe-
runt. Nam ut

Juvenalis
Satyra 14.
Stob. serm.
5.

Velocius & citius nos

Corrumpunt vitiorum exempla domestica: Ita

Patris virtus optimum liberis est præceptum.

Cumq; jam diitiplinæ capax esset LOBECHIUS,
præceptoribus in Schola Hamburgensi erudiendum il-
lum parentes tradiderunt: quorum præcepta optima
ille ad annum ætatis decimum nonum avido animo non
excipiens tantum, sed & sedulò imbibens, fructum in-
stitutionis & disciplinæ scholasticæ quoad vixit sen-
sit uberrimum. Verissimum namq; est, eos qui pau-
lò diutius culturæ præceptorum fidelium patientes au-
res commodant, & in omni vita esse moderatiores, ad
cedendum alijs minus difficiles, & si eventum spectes,
eruditione plurimis alijs superiores: Præsertim vero
ijs, qui abjectis disciplinæ scholasticæ repagulis, ac vix
primoribus labris Grammaticæ & linguarum elemen-
tis degustatis, in publica musarum Lycæa, sine pennis,
quod dicitur, evolant. Hi namq; ut vitam Academicam
in omnium rerum licentia consistere autumant, ita quoq;
mores induunt plerumq; ferocissimos, nec unquam id
cujus gratia à suis ablegati sunt, assequuntur. Causam
si quæras, ea in promptu hæc est, quod disciplinæ iugo
nunquam probè domiti, illud nec ferre, nec benè mo-
nentibus obtemperare queant; nec etiam adferant eam
eruditionem, quam studiâ & conditio Academica requi-
rit.